EMOLLITIO ALBA
SEU EXTENUATIO TEXTUUM NON EST PHLOGOSEOS PRODUCTUM

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

ANNUENTIBUS MAGNIFICO DOMINO RECTORE
ILLUSTRISSIMO FACULTATIS DIRECTORE, SPECTABILI D. DECANO
AC CLARISSIMIS D. D. PROFESSORIBUS

AUSPICE

D.re JOSEPHO CORNELIANI

PATHOLOGIAE GENERALIS ET PHARMACOLOGIAE
PROFESSORE ORDINARIO

PRO DOCTORIS MEDICINAE LAUREA RITE CAPESSENDA

IN CELEBRATISS. I. R. ARCHIGYMNASIO TICINENSI

MENSE MARTII AN. MDCCCXXXI.

UNA CUM THESIBUS ADNEXIS

PUBLICAE DISQUISITIONI SUBMITTEBAT

GUIDUS SORESINA

MANTUAE.



Ticini Regii

EX TYPOGRAPHIA FUSI ET SOCII.

PATRI AMANTISSIMO

FILIUS GRATISSIMUS

D. D. D.

Nulla est alia pro certo nascendi via, nisi quam plurimas et morborum et dissectionum historias, tum aliorum, tum proprias, collectas habere, et inter se comparare.

Morgagni, De sedib. et caus. morb. lib. IV. proem.

Inter vias, quae ab artis medicae cultoribus, inventae fuere, ut meliori fundamento illam exercerent, tutissima, et hinc hominibus salutis purior et amplior fons, absque errore, est illa, per quam ad veritatem ducit anathomes pathologica. Nonne reapse cum hujus splendida face quam plurima medicinae principia nunc sustenta, nunc a moderatioribus in dubium revocata, nunc negata, factis innixa innotuerunt, et amplexa fuere, vel ut falsa, aut ut phantasmata speculativa judicata, quae dies delet ut omnia opinionum commenta? Nonne ob illam fundamentis perennibus illud dogma, quod frustra a multis rejectum fuit, ab Italis tamen innixum in-

ductionis vi statutum est quod nempe fere omnes morbi a phlogosi ortum habeant? Inter hujus praecipuae medicinae partis cultores circa nonnullarum alterationum causam proximam necroscopia repertarum disceptatum fuit, haud laboribus, haud observationibus, haud experimentis praetermissis, maxima argumentorum vi hinc, et illinc in arenam descensos. Ut quam plurimas silentio praeteream, de momentosissima inter hasce, nam contrariae juxta explicationis contrarium modum, ne dicam e diametro oppositum, sunt therapeuticae indicationes, sive de causa proxima *albae emollitionis* verba faciam.

Dum de alba emollitione loquor, praecor ut vos non hic agi de illis casibus, in quibus ob alicujus principii eliminationem, aut peculiarem morbosam secretionem, dici potest omni jure, partem hanc vitio correptam in suppurationis statu esse, mente pervolvatis. Super hos casus nulla quaestio, nulla dubitatio, nulla lis exsurgere potest. Vitia haec sunt semper inflammationis productum. Alba emollitio, quae hujus dissertatiunculae est subjectum, consistit in alicujus partis statu,

in quo ista omnem suam tensionem, omnem vim tonicam ei a natura tributam ammittit, flaccida evadit et extenuata propter variorum textuum eam componentium atrophiam. Hic status a nonnullis Anathomicis atque Pathologis ut varietas effectuum phlogoseos, ab aliis ut causae oppositae productio consideratur. Ast ego observationibus physico-pathologicis fretus, hunc statum numquam esse phlogoseos effectum, contendo.

Ut ut plurimas historias, in quibus alicujus textus emollitio alba descripta est observationi et analysi subjecissem, semper hunc accidere vel in pueris fibra tenerrima donatis, marasmò confectis vel ab atrophia *limica*, ob alimentorum defectum, enata, ut verbum exprimit, vel in hominibus, quos diutinus morbus organi nobilissimi, promus condus haematopoeseos, ad mortem duxit, conspexi. Celeberrimus *Billard* in suo opere *de morbis infantum* historias refert nonnullorum, in quibus cum autopsia cadaverica membrana mucosa ventriculi, et fistulae intestinalis emollitione alba adfecta inventa fuit. Observationem prius faciam, si quid permittent

debiles ingenii nervi, circa causas, quae illam morbosam alterationem pararunt, et circa alias alterationes in cadaveribus existentes aptas ad lucem supra hanc rem effundendam. Quamvis indagines praelaudati auctoris fuerint subtiles, is semper reperiit solas causas, e quibus morbus originem duxit, reduci posse ad victus deficentiam, et qualitate ab optimo aberrantis, ad moram diuturnam in locis, ubi turmatim aegroti vitam degebant, et ubi hinc pabulum organismi, aër, respirationi haud idoneus erat. Quid natorum corpora exarata ab oculatissimo illo auctore pluribus in casibus offerrebant? Perfectam maciem, abdomen a vaporibus aeriformibus enormiter distensum, intestinalis tubi parietes ita tenues et transparentes, ut conspici poterant substantiae in ipsis contentae, ventriculum etiam et fistulam entericam vel in cuncta extensione interioris superficiei, vel in nonnullis punctis huc illuc ipsius colore fere clorotico suffusam, membranam mucosam ita emollitam, ut materiem pultaceam muco similem insimulet, cerebrum, jecinorem, lienem, cordem, pulmones exangues. Quis igitur hi-

sce in casibus albam emollitionem a phlogosi deducendam esse judicabit? aut non contendet ortum habuisse a causa toto caelo opposita? Cum absque partium studio rem ad trutinam revocare volumus, facile est intelligere, sanguinis paupertatem hunc effectum exerere posse, quam perpatitur textus membranae muciparae. Et sanguinis haec aegestas, ut pallor et ipsa emollitio, non est productum absque ulla dubitatione nutritionis deficientis? Phaenomenon, quod magis nostram attentionem concitat, quum cadavera infantum observationi submittimus, est conditio organorum, speciatim integumentorum, quae sanguine fere carent. Nemo inficiabitur ipsa organa alteratione, imminutione, suspensione haematopoeseos, cujus formationi erunt invincibilia obstacula victus dispeptus, paucus, aer impurus, laborasse. Quis igitur ipsis *Billard* verbis non utetur „ essersi in questi casi le sorgenti della vita insensibilmente esauste, e determinata una morte, „ se così è lecito esprimersi, di fame e di „ debolezza? „

Supra dixi albam emollitionem observatores invenisse in hominibus, quos len-

tissimi morbi organi alicujus maximum in haematopoeseos efformationem exerentis influxus, ad tumulum duxit. Et revera inter tot alterationes in cadaveribus phthisi eneoatorum repertas, saepe saepius comperta fuit alba emollitio, attenuatio membranae mucosae gastro-entericae. Hic autopsia cadaverica supervacanea est. Nam unusquisque lectorum facillime coram mente status, quem oculo eadem cadavera offerre possunt, imaginem habebit. Etiam hic extenuatio parietum ventriculi et tubi intestinalis observatur, ita ut conspiciantur materiae contentae. Hisce etiam in casibus ventriculus et fistula enterica, vel in cuncta extensione interioris superficiei, vel in nonnullis punctis colore clorotico suffusa cernitur, nec non membrana mucosa emollita ita ut materies pultacea videatur; tandem si excipias organicas pulmonum alterationes, eadem cruoris depauperatio.

Unusquisque jam casus ejusmodi comparare potest cum aliis supra relatis. Et revera quid interest si in hisce individuis inflammatio pulmonum texturam destruxerit? Forsan ipsa omnem organismum aggressa est? Minime sane. Quin imo cum

super haec organa maleficum suum effectum exercuerit, eorundem perniciem molita, organa quorum influxus supra sanguificationem neminem latet medicis etiam disciplinis parum imbutum, dum vita flammam organismi calefacebat, quis inficias ibit hisce in casibus sanguificationem imperfecte peragi debere? diutinamque phlogoseos vim et hinc increbescentem pulmonis alterationem obstaculum fuisse hujus formationi, si licet uti his verbis, et hinc causam totius destructionis? Hac nonne sanguinis paupertate omnes labe phthisica confecti laborant? Statuta hac sanguinis depauperatione, en ratio cur phlogosis dum in phthisicis ad maximum evehitur ferociae gradum, considerabilem hypertrophiam, si demas perraros casus, eorundem organorum, ubi phlogoticus focus adest, producat. Statuta hac humoris, qui vitae cornucopia merito vocatur, aegestate, nutritio deficiat oportet, partesque organicae continua jactura conflictabuntur. Et ad phaenomenon albae emollitionis atque membranae mucosae extenuationis tubi intestinalis explicandum, ad quid nisi ad denutritionem recurrendum, ni forte par-

tium stultissimus amor intellectus aciem obcaecat? Ad veram diversorum textuum atrophiam parietem ventriculi componentium? Cum cadavera individuorum phthisi peremptorum secantur, si morbus decursum diuturnum habuerit, systema musculare invenitur naturali colore fere orbatum, carneae ejusdem fibrae sunt ita consistentia imminutae, ut facillime rumpantur, et naturalem formam ammittant, ut nisi ab oculis expertissimis agnoscantur. Hocce phaenomenon igitur an nobis considerandum ut phlogoseos productum, vel potius nutritionis deficientis effectus, ut emollitio membrana mucosa stomaci refert?

Ast non solum autumo textus emolliri posse ob denutritionem, cum sanguinis inopiam organismus patitur, verum etiam cum illustris *Mekel* observationum auxilio, reor, accidere ipsum phaenomenon pathologicum, cum sanguis, ob aliquam causam maximâ vi pollentem, ad aliquod organon irruit, propinqua orbata benefico humore relinquens. *Mekel* in cadavere aegroti acuta carditide occisi pericardium inflammatum, turgida et rubra ejusdem vascula, ejusdem indissolubilem adhaesio-

nem cum cordis superficie in gratiam membranae, quam evellere haud potuit, majorem, quam in pericardio, flammam phlogoticam in corde ipso, cordis externam superficiem, quae erat erosa, rubra et propria membrana exuta, attamen fibras musculares cordis in ventriculis pallidas, sine ullo inflammationis indicio, absque suppurationis vestigio, et in earum substantia potius laxatas, quam duras observavit. Quomodo hoc factum ab eximio illo naturae scrutatore comperto explicandum, rejecto principio supraexposito?

Illustris *Tommasinius*, qui difficili animo morbosas alterationes admittit, in quibus haud sit primum elementum illa tam ab eo propugnata phlogosis, ob hoc factum praecipue a *Mekel* observatum fatur. » Sono persuaso che l'ammollimento
» morboso dei tessuti non sia sempre di
» derivazione flogistica, e sempre debba
» tenersi come risultamento d' infiamma-
» zione, che anzi richiamando le cose so-
» praccennate sul deterioramento delle
» forze riparatrici, e sul degradamento
» della fisiologica compatezza che dev'es-
» sere il prodotto di molte malattie, e

» considerando inoltre l'effetto de' veleni
» controstimolanti che non abbiano agito
» chimicamente, e coi quali si sieno lentamente avvelenati gli animali, manifestarsi piuttosto per la mollezza (floscezza) che per la compatezza de' muscoli
» e de' visceri; sono inclinato a pensare
» che l'ammollimento dei tessuti disgiunto da qualunque indicio o sospetto di
» scomposizione, sia più spesso di tutt'altra che di flogistica derivazione ».

Quo magis hoc factum pathologicum mente pervolvimus, cumque aliis comparamus, quae in organismo observantur, eo magis persuasum habemus, quidquid seorsum a me alii sentiant, veritatem amplexam habuisse vel aptius opinionem magis vero similem. Revera quis maximam analogiam inter emollitionem, attenuationem, vel incipientem atrophiam organorum in phthisicis, et alia organa quae constanter et regulariter evanuerunt, vita foetali ad finem perducta, non videt? Cui similitudo non patet inter ipsam emollitionem et anencephaliam et acephaliam et omne aliud conformationis vitium ob evolutionis defectum, et inter dentium primorum lactis

lapsum? Tanta et tam perfecta est analogia, si meas licet ostendere opiniones, inter haec facta, ut quacumque mentis dubitatione rejecta, aperte dicam, quod si nempe ad emollitionem et attenuationem textuum maximam vel solam symbolam phlogosis contribuat, haec ipsa facta recensita comparationis in gratiam, ab hac etiam pathologica conditione enasci debere. Sed recte quidem quod facta illa nemo inflammationis effectum putat. Illustris *Serres* in suo immortali opere *anathomes comparatae cerebri*, cum factis, quae nemo in dubium revocare potest, philosophica inductione statuit illam speciem imperfectae evolutionis anencephaliam et acephaliam constituentem saepissime promanare a primordiali deficentia arteriarum, quae sanguinem ad organon ob hanc causam non evolutum ducere debent. Nonne propter factum diversae evolutionis capitis foetuum juxta evolutionem aut deficentiam vasorum arteriosorum recte super tot formas monstruosas judicium statutum fuit, quarum ignorantia daemone vesaniae, hallucinationis invasae, atque superstitio, aevi caliginosi propria, ideas profecto habuere

falsas, obscenas suppositiones falsitati idearum adjungendo, et leges non humanas sed ferinas procreando, a saeculi nostri fugatas? Si volumen nonnullorum organorum imminuitur, vel plane illa organa delentur in vita periodis determinatis, ratio suadet hoc fieri ob minorem sanguinis quantitatem, sive ob evolutionem novi organi, quod illam quantitatem prioris nutritioni necessariam haurit, sive ob aliam causam atrâ obvelatam nocte. Est veritas, quam clariori face anathomes et physiologia contendunt, atrophia nempe radicis dentium lactis, dum arteriolae elementa nutritiva vehentes gradatim hyatat, e quo illa elementa profluunt, orbantur. Quis concordes maximam inter haec varia phaenomena et musculorum atrophiam haud observat, analogiam nec non aliorum textuum in individuis, quorum pulmones tuberculis numerosis scatent, haepatisati, vel alio quocumque modo alterati sunt, et hinc impotentes videntur ad sanguinem perfecte efformandum?

Si hoc argumentum cuncta latitudine et profunditate, cujus est capax, quaque est dignum ob momentosa corollaria,

pertractandum esset, longa fuisset via, strenui labores necessarii. Sed animus hujusmodi audacia consilia spernit: nam juventus, levis scientiarum notio mihi illarum cognitionum fontem claudunt, quae necessariae essent ad rem magis illustrandam. Id quod meis est in votis demonstratio rationalis opinionis meae est, quod nempe emollitio alba textuum haud sit effectus phlogoseos.

Ut autem ad id confirmandum novas ideas adjungam, ut potero, postquam hujus phaenomeni pathologici genesim enucleaverim, et cum aliis physiologicis et pathologicis comparaverim, ad scripti satis longi, si taedium lectori latum considero, coronidem, periculum e summo Galliae physiologo, paucis ab hinc annis institutum in medium ducam. *Magendie* ad cognoscenda nutritionis phaenomena ope experimentorum, nonnullos canes, solis substantiis e regno vegetabili deductis, et hinc ineptis ad alenda illa animalia naturaliter carnivora, enutrivit. Quid ergo? Gradatim tota organica compages horum animalium depauperatione conflictabatur, imminutio et attenuatio omnium textuum juxta va-

riam eorum naturam, atque, quod notatu dignum, atrophia eorundem talis, ut huc illuc cornea corripiebatur continui solutione, erant effectus istiusmodi nutritionis aberrantis. Quasnam et quantas reflexiones tale periculum *Magendie* mente physiologorum et pathologorum incitet, lectoris judicio relinquo. Mihi satis habeo a proposito non egressum fuisse. Finem faciam cum illustris Clinici *Andral* verbis » Le rappochement de ces faits n'est peut-etrê pas sans importance à une époque, ou en raison de la faveur souvent méritée dont jouit la doctrine de l'irritation, on ne tient plus qu'un compte beaucoup trop secondaire, selon nous, des phènomènes qui ne peuvent pas raisonnablement s'expliquer par celle-ci.

FINIS.

THESES DEFENDENDAE.

I.

In dijudicando utrum sanguis humanus sit nec ne, specificus odor Medico-Legali praestantissimam largitur opem.

II.

Magnesia diu et ubertim suppeditata *Bezoard* originem praebet.

III.

Terrae absorbentes vel et alkalia homini venenis mineralibus acidis infecto non ubique opitulantur.

IV.

Vix foecundatus embrio vitam jam propriam illico vivit.

V.

Odoribus vis nutriens haeret.

VI.

Praeter lucem, caloricum, electricitatem, et magnetismum sunt et corpora alia imponderabilia.